



**Rvperti Ab||batis Monasterii || Tvitiensis Ordinis S.
Benedicti The||ologi antiqui, Opera duo, ut egregia sanè,
ita diu desiderata, multoq[ue] || labore perquisita, ac
sumptu haud ita modico ...**

Rupert <von Deutz>

Colonia, M. D. XXVI.

VD16 R 3796

Ite[m]de processione spiritus sancti, quod in nos homines duobus datis
diffundatur, altero q[uo]d estin remissionem peccatorum, altero quod est
in diuisiones gratiarum, in sanctos aut[em] angelos uno ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71860)

cis, siue homo filius lucis, sic lux dicitur uel est, tanquam lucerna, id est, lux non carens materia: uerbum autem dei, uerbum deus, ipsa lucis est substantia. Nec enim aliud est illi esse, & aliud lucere: istis autem aliud esse & aliud est lucere. Diligendo quippe lucem, ipsi sunt lux: sicut e contra apostatae angeli, odiendo lucem, tenebrae sunt.

¶ Item de processione spiritus sancti, quod in nos homines duobus datis diffundatur, altero quod est in remissionem peccatorum, altero quod est in diuisiones gratiarum: in sanctos autem angelos uno tantum, quod est in diuisiones gratiarum.

Caput VIII.

De processione spiritus sancti, qui hoc operatur, & in illis beatis spiritibus & in nobis hominibus, ut per hoc ipsum, quod uerbum dei, filium dei, manentem in nobis habentes, filij dei nominamur & simus, hoc in superiore diximus, quod duobus datis siue per duo data diffundatur: altero quod est dari in remissionem peccatorum, altero quod est in diuisiones gratiarum. Verum nobis duntaxat hominibus istis duobus modis datur. In sanctos autem angelos uno modo scilicet in diuisiones gratiarum larga diuisione effusus est.

¶ Nam ut in remissionem peccatorum nunquam detur apostatis angelis, iudicium uerum fuit, & est eiusdem spiritus sancti. Illi namque cum suo principe diabolo non per infirmitatem seu per ignorantiam, sed per superbiam peccauerunt. Cuius uidelicet superbiam magnitudinem, spiritus propheticus apud Ezechielem denotat uerbis huiusmodi, diabolus coarguens sub nomine principis Tyri. Eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti deus ego sum, & in cathedra dei sedi, & dedisti cor tuum quasi cor dei. Item sub nomine Pharaonis regis Aegypti. Ecce ego ad te Pharaon rex Aegypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis, meus est fluuius, & ego feci memetipsum.

¶ Pro huiusmodi superbia sententiam damnationis aeternae accepit, de caelo proiectus, factusque princeps tenebrae diabolus, qui fuerat angelus speciosus. Vnde apud eundem prophetam dicitur ei. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia & perfectus decore, in delitijs paradysi dei fuisti, & caetera, usque, repleta sunt interiora tua iniquitate et peccasti et eiecite de monte dei. Quibus utique uerbis tria praedicant, horribilis eius superbiae instrumenta, sapientia, decor siue pulchritudo, maxime ubi sub nomine Assur dicitur in eum, omnem lignum paradysi non est assimilatum illi et pulchritudini eius, quoniam speciosum feci eum.

Tertium eius fuit magnitudo, nam cedri (inquit) non fuerunt altiores illo in paradiso dei, abietes non adaequaerunt summitatem eius, et platani non fuerunt aequales frondibus illius.

¶ Caeterum uera magnitudo deus est, et uera sapientia, uerbum dei, filius dei est: & uera pulchritudo spiritus sanctus est: quae beata trinitas, sanctorum angelorum & magnitudo & sapientia & pulchritudo est. At ille diabolus magnitudinem illam non honorificauit, sapientiam illam non adoptauit, pulchritudinem illam non amauit. Quomodo ergo nisi per Ironiam plenus sapientia, & perfectus decore extensusque & protegens dicitur fuisse?

¶ Sunt enim in scriptura sancta Ironiae grauissimae. Exempli gratia: cum dicit sancta trinitas, ecce Adam quasi unus ex nobis factus est: cum reuera potius propter peccatum comparatus sit iumentis, & similis factus sit illis. Et sicut filia Babylonis uirgo dicitur, cum sit meretrix. Itaque & quod ibidem illi dicitur, omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, iaspis, chrisolitus, onyx, berillus, saphyrus, carbunculus, & smaragdus, qui sunt sanctorum nouem ordines angelorum, cum improprio dictum esse sentimus, quia sic sibi ille arrogauit, ponens (ut supra dictum est) cor suum quasi cor dei, & dicens, in cathedra dei sedi.

¶ Denique solius dei est operimentum omnis lapis eiusmodi, id est, omnis perlucidus ordo angelicae dignitatis, sicut dicitur in Psalmo. Confessionem & decorem induisti amictus lumine sicut uestimento, id est, decora confessione sanctorum (qui omnes lumen, id est, filij lucis sunt) sic es indutus, sic es ornatus, ut aliquis uestimento suo.

¶ Quod nimirum parum est, de solis intelligere hominibus, filijs lucis: nam & sancti angeli, immo & primum ipsi lux, & filij siue angeli lucis, confessione sua decora creatorem suum induerunt, & ipsi sunt, de quibus idem dominus ad beatum Iob dicit. Cum me lau-

darent astra matutina, & iubilarent omnes filij dei.

¶ Quod recte iusto dei iudicio diabolum spiritus sanctus suo respectu indignum

C 3 quum

1. Iohan. 3

Angelis apostatis cur non datur spiritus sanctus in remissione peccati. Ezech. 23.

Ezech. 29.

Esa. 14.

Apo. 17 Superbiae luciferi. Ezech. 28

Ezech. 31

Ironia in scriptura sacra. Gene. 3. Psal. 48. Esa. 47. Ezech. 28

Amictus lumine sicut uestimento Psal. 105.

Iob. 38.